



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1551. usque ad annum 1553

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 90118561**

§. 10. Montfortii Comitis monita circa publicæ securitatis literas, atque  
usum Calicis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66577](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66577)

nem *adductivam* propugnabant, seu contendebant, quod Corpus Christi e Cælis non per motum successivum, sed instantaneum adducatur, ita, ut panis transmutetur in substantiam Corporis Christi, sed Caro Salvatoris aliunde adducta succedat substantiæ panis. Ceterum quælibet ex hisce Scholis suam opinionem strenue defendebat, atque sententiam oppositam multis a veritate absonis, ac repugnantibus propositionibus scaterere asserebat: cum ergo unitigantium parti satisfieri haud posset, quin offenderetur altera, hinc Veronensis Episcopus, qui hujus materiæ discussioni præerat, post aliquamdiu protractam utriusque sententiæ explicationem earum neutram approbabat, unde in Generali Congregatione sancitum, declarationem vocibus adeo amplis esse faciendam, ut illa utriusque sententiæ sensui accommodari valeat. Hæc provincia præside Veronensi Episcopo demandata fuit quibusdam Præfulibus, ac Theologorum nonnullis.

## §. X.

*Montfortij Comitis monita circa publicæ securitatis literas, atque usum Calicis.*

Cum inter hæc capita non infimam *Pallav. l. 123*  
B 2 ope-<sup>c.</sup> 8.

Sæc. XVI.  
A.C. 1551.

Sæcul. XVI.

A.C. 1551.

*Sleidan.**tomn. l. 23.**p. 827.*

operam sibi vendicaret quæstio de Communione sub utraque specie, Patres que decidere juberentur, an illa sit, nec ne necessaria, hinc Montfortius Comes Cæsaris Orator existimabat, quod facile, si ejusmodi decisio fieret, Protestantes irritari, atque a Synodi accessu arceri possent, quapropter ceteri Oratores, Regisque Romanorum Legati præprimis habito consilio una omnes accedebant Synodi Præsides, atque hanc definitionem differri rogabant. Hanc in rem Montfortius memorabat immensos Cæsaris labores bello, paceque eo ex fine exantlatos, ut Protestantes Synodo subiiceret: Jam autem si illi venire recusaverint, omnes hi conatus, ac consilia in irritum impensa dicebat, quocirca nulli labori, ut hi Conclio interesse velint, parcendum asserebat, eaque omnia sollicitè præcavenda, quæ ipsos abstertere possent. His addidit: „Imperator, ut illos eo certius ad Synodum alliceret, publicæ securitatis literas eisdem tradidit, cum vero hæc cautio ipsis non satis idonea videatur, eo quod Constantiensis Synodus re ipsa probasset, Concilia nullis Principum profanorum literis, ac securitatis promissionibus obstringi, hinc publicæ fidei tabulas ut ipsi Patres Tridentinis ipsi darent, se efflagi-

flagitate aiebat, cum Cæsar jam Pro-  
 testantibus promisisset, se id a Synodo  
 obtenturum, ideo factum, ut ipse Ora-  
 tor, ejusque Socii ejusmodi literas a  
 concilii Patribus petere jussi sint, con-  
 cepta spe, se petita impetraturos. Ve-  
 rum Legatus responsionem ad hunc ar-  
 ticulum in proximam Sessionem rejecit,  
 ut Pontificem desuper certiozem red-  
 dendi spatium nancisceretur.

Sæcul. XVI.  
 A.C. 1551.

Postea Montfortius Comes ad ar-  
 ticulum de Evcharistia progressus, hunc  
 in modum perorabat: „Ex iisdem ra-  
 „tionibus mox a me allegatis mihi op-  
 „portunum non videtur, ut ante Pro-  
 „testantium adventum controversiæ de  
 „Evcharistia excutiantur, cum alia  
 „non desint, vel reformationem spec-  
 „tantia, vel cum illis minime contro-  
 „versa. Verum ad hoc respondit Le-  
 „gatus: jam dudum constitutum est a  
 „Patribus de Evcharistia agere; cum-  
 „que principio decretum sit, in singulis  
 „Sessionibus fidei dogmata, & Re-  
 „formationis capita simul agitare, hinc  
 „præstitutus ordo inverti nequit, aliun-  
 „de vero cum ea, quæ Evcharistiam  
 „tangunt, Confirmationis doctrinam  
 „necessario sequantur, atque de iis jam,  
 „priusquam Synodus migrasset Bono-  
 „niam, ultimo loco actum esset, nulla  
 „alia tractandi ratio nunc institui po-

B 3

„test

Sæcul. XVI. „test, sed primo agendum de Evcha-  
A.C. 1551. „ristia, quæ Controversia magis respi-  
 „cit Helvetios, Zwinglianos, quam  
 „Germaniæ Protestantes, qui instar il-  
 „lorum Sacramentarii non sunt. „ De-  
 inde Comes ad communionem calicis  
 sermone converso ostendit, abiiciendam  
 plane spem omnem conciliandorum Pro-  
 testantium, si semel intelligunt, articu-  
 lum illum, quem tantopere urgent,  
 contra suam sententiam decisum, cum  
 Cæsar in decreto suo de re religionis  
 interim attemperanda, calicis usum  
 ipsis permittere coactus fuerit, ut pro-  
 inde nunc etiam ad Protestantium us-  
 que adventum differenda sit ejus trac-  
 tatio.

Hæ rationes firmæ videbantur, nec  
 id inficiabatur Legatus, cum vero rem  
 decidere suarum partium haud effret,  
 hinc benigno sermone rem protrahere  
 studuit, ut demum, quid Pontifex sen-  
 tiret, acceptis literis exploratum ha-  
 beret, sub idem tamen tempus ad Pa-  
 pam articulos a Theologis examinatos,  
 nec non doctrinæ capita, ac Canones  
 sancitos retulit.

## §. XI.

*Pontificis responsum ad Montfortii Co-  
 mitis propositiones.*

Postquam summus Pontifex per Lega-  
 ti